1879. VI. 1.

DIEI NATALIS
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS
GUILELMI I.
GERMANORUM IMPERATORIS
REGIS BORUSSIAE
FAUSTISSIMA SOLLEMNIA
QUORUM LAETITIAM ORATIO

AB ELOQUENTIAE PROFESSORE PUBLICE CONSTITUTO

EDUARDO LUEBBERT

HABENDA INTERPRETABITUR

DIE XXII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXIX.

IN MAGNA AULA HORA I. POST MERIDIEM CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET CONSISTORIUM ACADEMICUM
UNIVERSITATIS CHRISTIANAE ALBERTINAE KILIENSIS

INEST EDUARDI LUEBBERTI DISSERTATIO DE PINDARI CARMINIBUS AEGINETICIS QUATTUOR POSTREMIS.

KILIAE.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA.
EX OFFICINA C. F. MOHR (P. PETERS).
1879.

De Pindari carminibus Aegineticis quattuor postremis.

Aeginetarum res gestae Pindari praeconium nactae sunt, itaque licet nunc quidem paucissimis eximiae praestantiae reliquiis exceptis cineres et pulvis sint, tamen vivunt et in omne tempus victurae sunt. Undecim sunt carmina Pindari, in quibus Aeginetarum victorias celebravit: Ol. 8; Pyth. 8; Nem. 3—8; Isthm. 4. 5. 7. In eis Aeginae insulae tanquam filiae dilectissimae fata prosecutus est. Pindarus non tantum privatae amicitiae et hospitiorum vinculo cum familiis Aegineticis coniunctus erat, sed accedebat ipsius patriae urbis Thebarum vetus et antiqua cum Aegina amicitia, quam antiqui vates pulcherrima imagine duarum sororum, Thebes et Aeginae, Asopi fluvii filiarum, expresserant, quas ambas Juppiter (Isthm. 7, 16) dilexerit. Aegina vero insula Pindari temporibus Fortunae rotam eximie experta est. Nam cum bellorum contra Persas temporibus ad summum gloriae et favoris apud omnes Graeciae populos fastigium evecta esset, paucis decenniis post luculentum infirmitatis rerum humanarum documentum extitit: bello et longa obsidione ab Atheniensibus superata libertatem amisit, mox ex insula olim florentissima incolae in exilium pulsi aridorum foliorum instar dispersi sunt. Viderat Pindarus amicorum suorum florem; vidit initium occasus et ruinae; itaque non solum, quod humanum est, cum laetantibus laetatus est, sed, quod prope divinum, cum lugentibus luxit, cum sollicitis et fractis curas et dolorem partitus est. Carmina Aeginetica fidissimum eius commiserationis quasi speculum sunt. Sed Pindarus affectus suos cum amicis communicat ut poeta: is vero, qui quidem vere Musarum lacte nutritus sit, non ita tangitur rebus humanis, ut earum casu aut felici aut infelici perturbetur, abripiatur, sui obliviscatur: immo ex Pindari animo cum felicitatis tum adversarum rerum imago ita renidet, ita resplendet, ut omnia humana caelesti quadam luce circumfusa adspiciamus, ut in rerum fragilium et inconstantissimarum vicissitudine semper legem quandam aeternam ab incredibili sapientia et divino quodam amore constitutam veneremur.

Pindari carmina Aeginetica in duas vel tres potius classes dividi possunt, quae tempore et ingenio inter se differunt. Primae classi ea carmina adnumeramus, quae partim paullo ante, partim paullo post pugnam Salaminiam composita sunt, quibus omnibus hoc commune est, ut Aeginae insulae felicitatem et florem plane illibatum et integrum ostendant; vetusta Aeacidarum virtus quasi denuo in vitam excitata videtur; deorum favore manifesto omnia Aeginetarum studia proteguntur. Pindarus in eo splendore oculos quasi pascit et dolorem, quem ex suaemet ipse patriae Thebarum calamitate ea aetate capit, illo solatio mitigat. Itaque serenitatis et hilaritatis quaedam species his carminibus omnibus infixa est; unam solam admonitionem ubique sane insertam et lenis susurri instar eximio laudum concentui immixtam invenimus: modum tenendum nec ultra naturae humanae fines egrediendum esse, semperque cavendum, ne res laetae in nimiam sui confidentiam evadant, velut Isthm. 4, 14 *μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι· πάντ᾽ ἔχεις, | εἴ σε τούτων μοῖρ᾽ ἐφίκοιτο καλῶν. | θνατὰ θνατοῖσι πρέπει.* In hac prima classe ponenda sunt carmina Nem. 4. 5; Isthm. 5. 4. 7.

Tertiam classem (— nam secundam, quae minus ponderis habet, nunc paullulum differimus —) ea carmina constituunt, quae tempore maxume vicina sunt acerbissumae illius obsidionis initiis, qua Aegina post diuturnum et strenuum resistendi conatum tandem capta est. Incipit quattuor annorum illa oppugnatio anno 460, finita est anno 456. In omnibus carminibus, quae proxime ante hunc ictum fatalem composita sunt, eius fati iam quaedam praesagitio, haud sane aperta, sed tecta, nihilo minus tamen ubique praesens et conspicua inest. Pindari animus, rerum humanarum egregie peritus, quae futura essent praevidebat. Itaque summae illi quae ex ipsa victoria nascitur laetitiae semper admixta est tenera quaedam tristitiae umbra; redit poeta saepissime ad gravissimam illam humanae fragilitatis et infirmitatis contemplationem; sententiae quibus a rebus praesentibus ad aeternas revocamur crebrae insertae sunt. Sed in hac ipsa compositionis ratione Pindari ingenium quantum et quam eximium fuerit, maxume perspicitur. Nam in eius animo inter laetitiam et tristitiam nihil magnopere interest, quippe qui omnia humana tanquam ex celsiore quadam specula intueri didicisset, qui non casu vel arbitrio, sed nutu divino et summae cuiusdam iustitiae lege mundum universum regi et gubernari certissime sibi persuasisset. Quare cum in media laetitia tam severae admonitiones resonant, profecto non a proposito deflexit, sed munus poetae egregie administravit, qui omnes casus humanos ita interpretari debet, ut qualescunque futuri sint, animo pacato et grato eos accipi-

amus. Tale igitur eorum quattuor postremorum carminum in Aeginetas victores ingenium est; sunt autem carmina Nem. 8; Pyth. 8; Nem. 7; Ol. 8.

Inter has duas classes, quae rerum Aegineticarum fata ingenti fortunae intervallo diiuncta ostendunt, media est secunda quam diximus classis duorum tantum carminum Nem. 6 et Nem. 3, quorum annus et sedes certius definiri nequit; id unum constat, ea inter annos fere 476—465 composita esse. In eis hoc notabile, quod nondum quidquam occultae illius curae et sollicitudinis continent, qua quattuor postrema carmina perfusa sunt; deinde quod fervor ille et impetus, quo ad Aeginetarum fabulas enarrandas initio Pindarus accessit, paullulum iam restinctus videtur (Nem. 6, 62; conf. Leop. Schmidt, de Pindari vita et poesi, p. 485).

Iam brevissime primae et alterius classis carminum memoriam percurramus, ut deinde accuratius paullo et copiosius in tertiae classis postremorum quattuor carminum consilio et sententiis eruendis elaboremus.

Nem. 4 in Timasarchum. — Poeta fortitudinem vel in summo discrimine (v. 29) perseverantem Telamonis exemplo illustrat, deinde post communem Aeacidarum omnium laudem Peleum celebrat, qui propter animi temperantiam cum fortitudine coniunctam dis inprimis gratus fuerit. Carmen propter verss. 41—43 haud dubie eis adnumerandum, quae Pindarus composuit ea vitae aetate, qua nondum ad summum cum artis suae (— quemadmodum modestissimo iudicio ipse opinabatur —) tum hominum favoris fastigium pervenisset. Attamen tota compositionis ratio simillima est ei, quam in Nem. 5 invenimus. Itaque huic quam maxume vicinum est carmen Nem. 4. Optime in annum 485 (Ol. 73, 4) collocabitur.

Nem. 5 in Pytheam. — Cavere iubet poeta nimia studia et cupiditatum stimulos, qui vel probissumos, ni caveant, pervertere possint. Pelei egregia moderatio et temperantia magnifice laudatur. Pytheas filius est Lamponis, Phylacidae, in quem scripta sunt Isthm. 5. 4, frater maior natu. Quare Nem. 5 compositum videtur anno 483 (Ol. 74, 2).

Isthm. 5 in Phylacidam. — Quemadmodum Telamon cum ipse fortissumus esset, filio etiam fortissumo auctus est, Aiace, ita Lampon pater filiis praestantissimis stipatus est. Virtus patrum deorum beneficio in filiis reviviscit et denuo nascitur. Carmen ante pugnam Salaminiam compositum, probabiliter anno 482 (Ol. 74, 2).

Isthm. 7 in Cleandrum. — Pindarus gravi patriae suae Thebarum casu afflictus maerorem ingenue fatetur. Thebae enim post Plataeense proelium a communi Graecorum exercitu obsessae et captae fuerant (Herod. 9, 86—88). Poeta Aeginae et

Thebarum veterem amicitiam celebrans haud obscure Aeginetas ut sponsores et patronos appellat: inseruit ad hanc sententiam aptissime fabulam de Peleo, qui cum Juppiter et Neptunus de Thetidis matrimonio in vehementem contentionem exarsissent, pacis quodammodo auctor factus est ea re, quod, cum neutri deorum immortalium Thetidem nubere licere oraculo Themidis patefactum esset, ipse dignus repertus est, cui una e Nereidibus in matrimonium daretur. Carmen haud dubie proxumis post Thebas expugnatas Isthmiis compositum est, h. e. anno 478 (Ol. 75, 2).

Isthm. 4 in Phylacidam. — Carmen ipsum luculentam pugnae Salaminiae mentionem continet (v. 49). Proxumis Isthmiis quominus compositum credamus impedit, qua de re optime Bergkius, Poetae Lyr. ed. IV. p. 11 monuit, quod in pancratio eorum Isthmiorum victor est Cleander. Itaque ad Isthmia sequentia nos convertamus necesse est, quibus Phylacidas vicerit in pancratii certamine. Incidit igitur carmen in annum 476 (Ol. 75, 4). Exhortatur poeta victorem, ut in eis, quae assecutus sit, subsistat nec nimis alta expetat. Pulcherrimum praemium, quod omni invidia careat, poetarum esse laudem. — Sequuntur haec carmina illa duo, quae secundam classem efficere diximus.

Nem. 6 in Alcimidem e nobili Bassidarum gente. — Perculit Pindari animum mira in huius gentis fatis observatio. Bassidarum gens insignem in modum luctandi arte excellebat, attamen haec facultas non serie continua et quasi hereditatis iure a patre semper ad filium propagata fuerat, immo alternis vicibus emicans ab avo in nepotem transiluerat, ut unus in medio locus omitteretur; pater igitur et proavos victoris non inclaruerant. Poeta hoc illustrat agris in comparationem vocatis, qui ipsi quoque per intervalla tantum et alternis annorum vicibus fructus pariant. Quietem vero illam minime inane otium esse, sed novas per id tempus vires succrescere. Carmen ei tempori tribuendum videtur, quo Pindarus Aeacidarum fabulas ut nimis tritas iam minus studiose ennarrabat, qua de re optime dixit L. Schmidtius in libro de Pindari vita et poesi p. 485. Itaque fortasse de Nemeis annorum 471, 469, 467 cogitari poterit.

Nem. 3 in Aristoclidem. — Aristoclides iam aetate senior reditum diei festi, quo olim Nemea vicerat, celebrat. Pindarus venuste in Achillis exemplo humanae vitae aetates illustrat; addit quartam esse aetatem, qua iam ambitioni et laudis cupiditati freni imponendi sint. Hymnum suum poeta cum potu comparat (v. 77), sed cum potu non eo, qui animum excitaturus sit, immo cum tali, qui ex melle et lacte mixtus ad sedandum aptior sit, quam ad excitandum. Rem subtiliter perspexit Dis-

senius in comm. editionis suae p. 375. Iam cum Pindarus tam egregie in senioris alicuius viri animum et ingenium se insinuarit et quid ille sentire debuerit, tam apte et naturae convenienter expresserit, valde arridet coniectura, fieri potuisse, ut poeta iam in se ipso senectutis appropinquantis prima signa et indicia expertus esset. Quo efficitur, ut carmen compositum videatur in annum 467 vel 465, nam ulterius progredi nolim, quia nihil dum inest in eo earum curarum, quae poetae animum totum occuparunt, cum ingruentis in dilectissumam insulam cladis et tempestatis prima iam quasi tonitrua auribus percepisset.

Iam accessimus ad quattuor illa carmina postrema, de quibus potissumum quaerere propositum nobis est. Unius tantummodo eorum annus accurate definiri potest, carminis Ol. 8. Hoc carmen certissimo et plane indubitato testimonio scholiasta affirmat compositum esse Ol. 80 (= 460). Reliquorum trium huius classis carminum tempora ab eruditis hominibus diverse constituuntur, eum fere in modum, ut de Nem. 7 non magna controversia sit, de Nem. 8 vero et Pyth. 8 antipodum prope ratione alteri ab alteris distent. Primum nunc exponendum est, cur nullum ex eis carminibus probabile sit anno 460 posterius esse. In hac re ut breves esse possimus, egregia A r n o l d i S c h a e f e r i diligentia effectum est, qui in libello de rerum post bellum Persicum in Graecia gestarum temporibus (Lipsiae 1865) ita horum annorum memoriam explicuit, ut nunc certo fundamento insistere liceat. Annus 460 (Ol. 80, 1) in annalibus Atheniensium clarissimus est et incredibili fere multitudine rerum terra marique Pericle potissumum duce et auctore gestarum insignis; nam viribus et opibus florens respublica Atheniensium ad summa tum enitebatur. Thucydides 1, 105 expeditiones militares et proelia eo anno facta in uno conspectu posita breviter comprehendit. Rerum copia tanta est ut dubium plane videri possit, num unum eundemque Thucydides annum omnibus tribuat; sed felicissime accidit, ut luculentissimo titulo marmoreo edoceamur haec intra unius anni spatium re vera facta esse. Titulus exhibet indicem civium, qui ex tribu Erechtheide per eius anni spatium ceciderant, Corp. Inscr. Attic. 1, p. 193 *Ἐρεχθηίδος οἵδε ἐν τῷ πολέμῳ ἀπέθανον ἐν Κύπρῳ, ἐν Αἰγύπτῳ, ἐν Φοινίκῃ, ἐν Ἁλιεῦσιν, ἐν Αἰγίνῃ, Μεγαροῖ τοῦ αὐτοῦ ἐνιαυτοῦ.* Thucydides igitur manifesto ad eundem annum refert pugnas apud Cecryphaliam et Aeginam et oppugnationis Aeginae urbis initium 1, 105 *πολέμου δὲ καταστάντος πρὸς Αἰγινήτας Ἀθηναίοις μετὰ ταῦτα ναυμαχία γίγνεται ἐπ᾽ Αἰγίνῃ μεγάλη Ἀθηναίων καὶ Αἰγινητῶν . . . καὶ ἐνίκων Ἀθηναῖοι καὶ ναῦς ἑβδομήκοντα λαβόντες αὐτῶν ἐς τὴν γῆν ἀπέ-*

βησαν καὶ ἐπολιόρκουν. Conf. K. W. Kruegerum, Studia historica et philolog. Berol. 1836 p. 163--66.

Itaque post pugnam navalem, qua Aeginetae victi sunt, quaque septuaginta naves amiserunt, Athenienses statim castra in insula posuerunt et urbem oppugnare adorti sunt. Accedit ad Thucydidis testimonium aliud non apertis quidem verbis expressum, sed ad conclusionem faciendam aptum. Alcimedontis Aeginetae victoria in ludis Olympicis anni 460, quam Pindarus carmine Ol. 8 praedicavit, non domi in patria insula, sed Olympiae sollemniter celebratur, quod, ut rectissime L. Schmidtius p. 343 interpretatur, hanc sine dubio caussam habet, quod insula patria iam armorum strepitu resonabat et hostium impetu et vicinis castris premebatur. Oppugnatio Aeginae quamvis nunquam ab Atheniensibus, ut videtur, intermissa (— Thuc. 1, 105 *οἱ Ἀθηναῖοι* inquit *τὸ μὲν πρὸς Αἰγίνῃ στράτευμα οὐκ ἐκίνησαν* —), tamen primo tempore non admodum procedebat, cum Aeginetae licet duobus proeliis victi tamen copiis viribusque etiamtunc satis validi essent et pro libertate et summa salute leonum instar resisterent. Quarto demum anno cum vires eorum prorsus fractae exhaustaeque essent, deditio facta est, aestate anni 456, quemadmodum probabiliter demonstravit K. W. Krueger l. c. p. 177. Diodorus quidem 11, 78 de universi belli Aeginetici cursu et temporibus longe aliter narrat; dicit enim novem mensium spatio oppugnationem absolutam et deditionem factam esse; sed eius testimonium, hominis omnino in temporibus computandis admodum incuriosi, contra Thucydidem nihil valet.

Deditione facta in eas conditiones, quas Thucydides 1, 108 enarrat, Aeginetae primum sane praeter amissam libertatem et tributum impositum nihil gravius passi sunt, usque ad annum 431; postea vero cum inter belli Peloponnesiaci initia magis magisque Athenienses et Aeginam ut utilem in bello stationem ipsi occupare vellent, et ab Aeginetis nonnihil sibi timerent, imminens exitium erupit, et ex patria insula Aeacidarum posteri, olim splendor et decus Graeciae, miserabilem in modum emigrare coacti sunt (Thuc. 2, 27); mox de tanta Aeginetarum gloria nil praeter nomen et umbram reliquom fuit. Post libertatem anno 456 amissam nullum ex quattuor illis carminibus compositum esse admodum probabile est. De uno tantum dubitatur. Carmen Pythicum 8 ad tempus, quo subiecta iam Aegina Atheniensibus et tributaria fuit, ad annum 450, scholiorum testimonio (— *τὴν λέ πυθιάδα* —), si modo lectio sana, refertur. Suscepit eius notitiae defensionem Leopoldus Schmidt, de Pind. vita et poesi p. 398, atque elegantissima argumentatione, in id tempus totum carmen

optime convenire, evincere studuit*). Attamen magnae obstant difficultates. Nos cur viro egregio et de Pindaro praeclare merito in hac re adstipulari non possimus, infra cum ad eius carminis explicationem perventum erit, accuratius significabimus.

Sed nunc iam ea quaestio accuratius inspicienda est, quae totius nostrae disputationis quasi caput continet. Diximus supra, quattuor haec carmina, Nem. 8; Pyth. 8; Nem. 7; Ol. 8 unum quodammodo ingenium eundemque animi habitum spirare: inest in omnibus mixta cum victoriae laetitia occulta illa tristitia et suppressa quaedam querimonia et de rebus Aeginetarum sollicitudo. Huius rei nunc accuratius ratio reddenda est. Pindarus non tantum propter humanarum rerum omnino fragilitatem et inconstantiam ut tantopere de amicorum Aeginetarum salute dubitaret adductus est, nec sola Atheniensium in armis et copiis navalibus gubernandis strenuitas et peritia tantam ei curam iniecit, nam Aeginam quoque viros fortissimos alere eloquentissimo sexcentiens ore praedicavit: sed aliud quid accedebat, quod cum secum animo volveret, qua erat sagacitate et rerum experientia et usu, tale ei videri debuit, ut dilectissimae Aeginetarum insulae inevitabilem interitum et perniciem certo allaturum esset. Iam ut breviter quale id fuerit comprehendamus: Aegina insula intestina discordia et seditionum seminibus magnopere laborasse videtur; factioni optimatium, quae gubernacula rei publicae tenebat, opposita erat popularis factio, quae partim vi partim dolo continuum cum optimatibus bellum gerebat, quae ne a conspiratione quidem cum Atheniensibus reformidabat, quae vel ruinam rei publicae sine ulla dubitatione libenter latura erat, si cum adversariorum ruina coniuncta esset. Eius pestis in reipublicae Aegineticae intestinis et visceribus haerentis memoria nunc paene intermortua est. Paucae sunt apud Herodotum notitiae, unde tale quid suspicari licet. Pindari carmina sola copiosius rem testantur; quamquam confitendum est, Pindarum cum summa cautione hoc volnus tangere, nusquam

*) L. Schmidtius si quisquam unquam in Musarum Pindaricarum nemora et solitudines alte se penetravit. Iam in hac nunc scriptione si a viri, summa semper pietate mihi colendi sententia aliquotiens recedendum mihi putavi, duae res mihi solatio sunt: primum quod in universa quaerendi ratione eum intueri, eius vestigia legere mihi proposui; deinde quod certo scio, in qualibet opinionum diversitate tamen nos in candido et sincero veri investigandi studio semper unanimos, semper coniunctos fore. Talis sive concordia discors sive discordia concors ne C. quidem Laelio, opinor, displiceret.

apertis plane et expressis verbis de eo loqui. Attamen haec eum sentire et licet in verbis parcum, tamen in univero rerum et cogitatorum delectu, toto animi habitu, immo quasi voltu ipso exprimere, certissimis, opinor, argumentis demonstrari potest. Pindari si unquam cuiusquam scriptoris silentium profecto eloquentissimum est.

Sed ut haec omnia accurate probentur et iusta argumentatione demonstrentur nonnullis ambagibus opus est. Primum igitur Herodoti locus inspiciendus erit, ex quo apparet vetustis iam temporibus, paullo post pugnam Marathoniam, factionem popularem cum optimatibus graves inimicitias exercuisse, quae non multum abfuit quin in totius reipublicae perniciem erumperent. Narrat Herodotus 6, 87 Aeginetas quondam ut gravem aliquam iniuriam ab Atheniensibus sibi illatam (Herod. 6, 73. 86) ulciscerentur, navem quinqueremem Atheniensem, quae cum viris nonnullis nobilissimis ad sacra Neptuno in Sunio promunturio facienda missa fuerit, ex insidiis intercepisse et viros in ea captos in vinculis retinuisse. Iam vero Athenienses, ita pergit Herodotus, ipsi quoque hanc iniuriam ulciscendam sibi rati cum satis magnum numerum navium illa aetate nondum haberent, quo Aeginetis bellum inferre possent, a Corinthiis quantum satis erat accepto, incursionem in Aeginam insulam facere decreverunt. Erat tum Aeginae Nicodromus quidam, Cnoethi filius, *ἀνὴρ δόκιμος* ut ait Herodotus, qui nobilibus succensebat, quod olim ab eis in exilium pulsus fuerat. Hic pactum clam cum Atheniensibus tale fecit, ut certa die ipse veterem urbem (*τὴν παλαιὰν πόλιν* Herod. 6, 88) occuparet, Athenienses vero eadem die praesto essent, ut copulatis viribus adversarios opprimerent. Ac Nicodromus quidem promisso stetit et veterem urbem occupavit, Athenienses vero iusto tempore non adfuerunt. Itaque Nicodromus re infecta cum paucis consilii sociis nave conscensa effugit; Herod. 6, 90 *ἐς πλοῖον ἀναβὰς ἐκδιδρήσκει ἐκ τῆς Αἰγίνης· σὺν δέ οἱ καὶ ἄλλοι τῶν Αἰγινητέων ἕσποντο.*

Sed tota seditio minime auctoris illius et architecti discessu finita est. Nicodromus universam prope plebem in consilii sui societatem adsumpserat. Itaque vel digresso duce tamen sub armis illa remanebat. Iam vero sequitur res narratu tristissima, quae quantum odium mutuum inter ordines optimatium et popularium ibi fuerit, argumento atroci confirmat. Herodotus optimates vocabulo *τῶν παχέων* nuncupat, quae vox in Aegina quoque haud dubie usu loquendi recepta fuerat. Itaque factio illa *τῶν παχέων* cum armatam et a nequissumo proditore primum concitatam, post desertam plebem conspiceret, impetum in hostes fecit eosque superavit. Et crudeliter sane hac victoria usa est, si modo Herodotus fide dignus. Nam primum homines septingentos ad mortem certam victores abduxerunt, deinde cum unus e captivis

elapsus et ad aedem Cereris Thesmophori confugiens fores amplexus esset et manibus in manubriis fixis haereret: ne ei quidem pepercerunt, sed cum homo summa tenacitate et desperatione vires suppeditante se affixisset nec ulla persecutorum vi divelli posset, nefandum facinus ausi sunt: securi arrepta manus illi infelicissimo praeciderunt. Quod facinus ilico miraculum secutum est: manus illae ambae cum forium manubriis coaluerant. Herodotus 6, 91 *χεῖρες δὲ κεῖναι*, inquit, *ἐμπεφυκυῖαι ἔσαν τοῖσιν ἐπισπαστῆρσι.* Addit Herodotus, hac re admissa Aeginetas ingens piaculum contraxisse, quod licet plurima expiationis caussa fecerint, tamen eos extinguere adeo non potuisse, ut antea ex insula patria expulsi sint, quam eius sceleris veniam nanciscerentur. Herod. 6, 91 *ἄγος . . . τὸ ἐκθύσασθαι οὐκ οἷοί τε ἐγίνοντο ἐπιμηχανώμενοι, ἀλλ᾽ ἔφθησαν ἐκπεσόντες πρότερον τῆς νήσου ἤ σφι ἵλεων γενέσθαι τὴν θεόν.*

Haec narratio licet ab historiae parente et aequissimo alioquin rerum humanarum aestimatore tradita sit, tamen haud dubie partium studia spirat. Primum quod in fine Herodotus adicit, Aeginetas ex insula excidisse, antequam veniam sceleris nacti sint et deam placarint: est haec aperte Atheniensium vox, excusationem aliquam sibi quaerentium, qua ipsi se purgarent cum Aeginetas immerito, ut videtur, e patria eicerent. Thucydides saltem 2, 27 nullam Aeginetarum culpam profert. Athenienses igitur cum ipsi Aeginetis prorsus implacabiles essent, commode hoc commenti sunt, Cererem eis implacabilem esse, ut aliquo iuris divini praetextu muniti hostes impune perderent. Apparet igitur hanc de ira numinis divini nunquam placata narrationem Atheniensium inventum esse.

Secundo loco quaerendum est, mereantne fidem illa, quae de piaculo commisso narrantur. Cum piaculi et templi violati memoria coniunctissima est miraculi mentio. Itaque fieri vix poterit quin hoc repudiato illud quoque suspectum reddatur. Nam quae narrationis caput sunt: rebellio plebis contra optimates et victoria crudeliter ab his in homines non sua culpa noxios exercita, verrissima et fide dignissima esse possunt, et tamen piaculi illius mentio conficta et contra verum adiecta videri poterit. Nam e Graecorum iudicio plurimum interest inter meram, ut ita nunc dicamus, crudelitatem et piaculum. Deinde vero qui auctores hoc additamentum adiecerint minime dubium esse potest: fuit popularium factio, quae semper odio insatiabili et atroci ultionis cupiditate adversus nobiles flagrabat. Ei hoc telum, ex violatis religionibus petitum, satis efficax videri debuit ad invidiam nobilibus gentibus conflandam.

Iam si quaeratur quo tempore fabula illa de piaculo et miraculo orta sit, recordemur necesse est, eiusmodi verae cuiusdam rei ornamenta et additamenta fabulosa

tum demum cum aliqua fidei faciendae spe fingi posse, cum post rem vere factam aliquod iam temporis spatium praeterierit. Nam rem principalem in hominum memoria paullulum iam oblitteratam esse oportet, antequam fabularum incrementis locus reperiri possit. Quae cum ita sint, sequitur, ut illa de nobilium et optimatium nefario crimine narratio annis fere duodecim vel quindecim post seditionem ab Herodoto narratam conficta sit, quae res iam nos deducit ad ea tempora, quae postremam reipublicae liberae Aeginetarum cladem proxime antecedunt. Iam igitur si haec recte argumentati sumus, aliquid inde colligere licet, quod ad summam quaestionis nostrae alicuius momenti est. Nam satis idoneo ad probandum argumento demonstrasse videmur, odium illud popularium erga nobiles ea aetate minime extinctum fuisse, immo vix errare videbimur, si reipublicae Aeginetarum talem per eos annos imaginem nobis informemus, in qua civitas universa in duo quasi castra hostilia diremta fuerit. Has vero discordias inprimis in caussa fuisse, ut mox tota Aeginetarum res publica naufragio tristissimo interiret, quis negare ausit!

Sed ad Pindarum redeundum nunc est. Quaeritur num quae Herodoto duce invenimus poeta confirmet. Nobis sane ita videtur; nam quae apud Pindarum in illis quattuor carminibus Aegineticis postremis leguntur, talia sunt, ut non tantum eandem discordiarum imaginem exprimant, sed plurimis etiam testimoniis eam illustrent et suppleant. Sed caute in hac argumentatione progrediendum est et singula accurate perpendenda. Iam ad carmina ipsa nos convertamus et quid suadeant examinemus. Ducat agmen luculentissimum et gravissimum in hac quaestione carmen Pythicum 8 in Aristomenem. In scholiis traditum est, victoriam Aristomenis incidere *εἰς τὴν λέ πυθιάδα*, quae pythias respondet (ut Boeckhium nunc sequamur) anno Ol. 82, 3 = 450. Hanc temporis definitionem argumentis speciosissimis et egregio acumine defendit Leopoldus Schmidt, de Pindari vita et poesi p. 398 et nuper iterum in Commentationibus Philologis in honorem Theod. Mommseni editis (Berol. 1877) p. 55. Si haec sententia recte se haberet carmen incideret in tempora iam amissae libertatis et subactae ab Atheniensibus Aeginae. Schmidtius cum tali omnino rerum conditione carminis totius sententiam optime convenire opinatur. Exordium enim carminis Hesychiae deae, Iustitiae filiae, laudes magnifice et copiose celebrat, quae bonos cives felices reddat, turbulentos gravi poena affligat. Pulchra est Schmidtii coniectura, Pindarum hoc eo consilio dicere, ut Aeginetas a temerariis novarum rerum et pristinae libertatis recuperandae studiis deterreat; acquiescendum esse in illa libertatis

umbra, quam e naufragio acerbissimo retinuerint, ne vana et audaci spe decepti in peiorem conditionem vel in certam perniciem irruant.

Possint haec magnopere placere. Est hoc fortasse e moribus Pindari, ut amicos a calidis et incautis consiliis retineat, patientiam et tranquillitatem ut optimum malorum remedium commendet. Attamen quominus adstipulemur una inprimis res impedit, quae cum Schmidtii coniectura nullo modo consociari posse videtur. Pindarus gravissimis et acerbissimis vocabulis eos reprehendit, qui reipublicae et institutorum publicorum statum turbaturi sint. Comparat tales viros cum numinibus deorum immortalium generi infestissimis, cum Typhoeo, cum Porphyrione Gigantum rege, qui Iovis fulgure merito in tartari tenebras coniecti sint. Denique, quod mihi gravissimum videtur, *ὕβρεως* vocabulo utitur in illis conatibus turbulentis castigandis, v. 8: *τὺ δ'* (*Ἡσυχίαν* dicit) *ὁπόταν τις ἀμείλιχον | καρδίᾳ κότον ἐνελάσῃ | τραχεῖα δυσμενέων | ὑπαντιάζαισα κράτει τιθεῖς | ὕβριν ἐν ἄντλῳ.* Ita opinor non locutus esset Pindarus, si haec ad Aeginetarum libertatis recuperandae conatus revocari voluisset. Tales enim conatus nullo iure *ὕβριν* vocare potuit. Concedimus eos viros, qui Atheniensium dominationem a cervicibus rursus depellere illis temporibus in animum inducerent, perversitatis, audaciae, summae temeritatis, immo insaniae nomine compellandos et increpandos videri potuisse; — at *ὕβρεως*, quod crimen nefas significat et divini numinis neglectum et contemptum, accusandi non erant; nam qui pro patriae libertate vel sine ulla victoriae spe vitam suam morti oblaturi erant, misericordia potius, quam indignatione et gravi reprehensione digni sunt.

Quae cum ita sint, constare videtur, Tranquillitatis (*Ἡσυχίας*) in rebus publicis administrandis commendationem non pertinere ad tempora illa, quibus Aegina Atheniensibus iam subiecta et tributaria fuit. Quaeritur quaenam rerum conditio illi Hesychiae praeconio magis respondeat. Ex eis quae supra a nobis exposita sunt duce Herodoto de discordiis intestinis plebis et nobilium, quae Aeginae fuerunt, hoc elucere videbatur, illis annis, qui proximi ante cladem sunt, qua Aegina ab Atheniensibus subacta est, rursus odium et ultionis cupiditatem et temeritatem in criminibus confingendis vehementer exarsisse. Itaque per illos annos ab 463 ad 460 amplissima et paratissima seditionum et inimicitiarum materia Aeginae suppetebat. Quare vix quidquam probabilius excogitari poterit, quam Pindarum, illarum discordiarum maxume et cum summo suo dolore gnarum, carmini suo splendidissimam illam tranquillitatis et pacis domesticae laudem et commendationem inseruisse. In hanc sententiam singula paene eius exordii vocabula omnia commodissime conveniunt. Popu-

larium civium duces vim moliebantur, reipublicae fundamenta revellere conabantur; quid efficacius et splendidius his conatibus opponi potuit, quam Typhoei et Porphyrionis exemplum infelix! Quomodo civiles lites et contentiones componendae essent, et quemadmodum in diversis civium desideriis et propositis tamen concordia publica servari possit, pulcherrime Pindarus aurea hac voce enuntiavit v. 13: *κέρδος δὲ φίλτατον, | ἑκοντος εἴ τις ἐκ δόμων φέροι.* His perpensis valde probabile est, Pindarum in splendidissimo illo carminis Pythici 8 exordio de Hesychiae laudibus respicere ad nefaria factionum studia, quae illo tempore rempublicam Aeginetarum lacerabant, eumque cum ipse a nobilium parte staret, popularem partem gravibus admonitionibus in rectam viam revocare studuisse.

Iam vero ne de tempore quidem, quo carmen compositum sit, magna dubitatio esse poterit. Pythias proxima ante supremam Aeginae cladem incidit in Ol. 79, 3 = 462. Ei anno quominus carmen Pyth. 8 tribuamus nihil dissuadet, multa ut faciamus suadent. Itaque apud scholiastam illo loco, quem supra indicavimus, *τῇ λά πυθιάδι* scribendum est, quam coniecturam iam K. W. Krüeger l. s. p. 191 et Bergkius in editione IV. p. 8 praeiverunt. Sed reliquum est ut unum addamus. Demonstrare studuimus, Pindari carmen Pyth. 8 indicia quaedam de factionum studiis et de partium civilium mutuis discordiis continere: commemorandum est, minime hanc coniecturam, quam novis argumentis munire conati sumus, ipsam novam esse. Immo vetustissima est. Primus eius auctor afferri debet scholiasta, qui ad v. 3 haec habet: *ἰδίᾳ Αἰγινήταις ἦσαν στάσεις περὶ τὸν τῆς νίκης τοῦ Ἀριστομένους καιρόν· διὸ καὶ οἰκείως τὴν Ἡσυχίαν κατεύχεται.* In eandem explicationem incidit K. W. Kruegerus in Stud. hist. et philol. Berol. 1836, p. 190 sq., qui locum etiam ex Herodoto indicavit, quo supra freti hanc interpretationem accuratius copiosiusque commendare conati sumus. Nam Kruegerus paucissimis tantum verbis rem absolvit et ita tantum coniecturae a se factae patronus est, ut dicat, rem certo diiudicari omnino non posse, et aequo fere iure contendere nobis licere, carmen temporibus subactae iam Aeginae compositum esse et Pindarum sub Hesychiae laudis imagine a conatibus temerariis, quos contra Atheniensium dominationem Aeginetae moliti sint, revocare voluisse. Postrema haec coniectura postea patronum longe peritissimum L. Schmidtium nacta est.

Progrediendum nunc est ad duo carmina cum arcte inter se coniuncta, tum ipsa quoque tempore maxume vicina supremae Aeginetarum cladi: ad carmen Nem. 8 in Dinidem et ad carmen Nem. 7 in Sogenem. Haec duo carmina licet in uni-

versum tam consilio quam compositionis ratione maxume diversa sint, tamen in una quadam eaque gravissima re eximia similitudine sunt: in utroque enim copiose poeta et eloquenter evagatur in invidia hominum malevolorum et volgi imperiti castiganda. Accedit res satis notabilis: in utroque carmine pestiferi eius mali vim et potestatem atroci Aiacis herois Aeginetarum clarissumi exemplo illustrat, qui ab Ulixe, omnibus nominibus omnibusque virtutibus Aiace longe inferiore, plaudente nihilominus populo superatus et ad voluntariam mortem adactus sit. Hic duorum carminum tantus consensus fortuitus profecto non videtur; immo magnopere coniecturae favet, hanc geminam eiusdem rei mentionem ex eadem radice, ex eadem rerum publicarum conditione, denique eodem fere tempore ortam esse.

Sed quaenam illa fuit rerum conditio, quae Pindarum ut tam graves de civium invidia et mala voluntate querimonias in carminibus victoribus Aegineticis destinatis funderet? Haec reputantibus in tempore nobis occurrit illa rerum Aegineticarum imago, quam supra iam cum Herodoto, tum ipso Pindaro duce adumbravimus, quae postremorum liberae etiamtunc Aeginae quattuor vel trium annorum lugubrem paene iam speciem ostendebat. Vidimus supra, quemadmodum illis potissumum annis plebis odium et confidentia, Atheniensium haud dubie favore freta, creverint. Eo tempore orta et fabricata erat fabula illa de piaculo ab nobilibus in templo Cereris admisso, deque miraculo, quo dea ipsa indignationem suam prodiderit. Neque profecto quemquam fugere potest, quantam infamiam, quantam honesti nominis iacturam, quantam invidiam tales rumusculi cum summo studio sparsi nobilibus hominibus adferre debuerint. Nam vel apud Herodotum loco illo cognitu dignissimo 6, 91, dum verba legimus, facile sentimus, quanta indignatione ipse historiae parens in eo facinore referendo perculsus sit. Tali igitur falsarum, ut videtur, criminationum sanie et viro popularium factio gentes illas nobilissimas Aeginetarum, quorum Pindarus praeco laudis et gloriae est, infecerant et persperserant; hoc profecto illud invidiae lamentabile et execrandum malum est, quod in laetissimis ceteroquin carminibus Pindarus lamentatur; »hinc illae lacrimae, haec illast misericordia«.

Atque haec quidem suspitio, qua Pindarum adversos et malevolos rumores a populari factione ortos in eis carminibus castigare statuimus, ipsorum carminum verbis manifesto confirmatur. Nam ignobile volgus et eius credulitas in malevolis criminationibus excipiendis saepius tangitur, his potissumum locis Nem. 7, 23: *τυφλὸν δ' ἔχει | ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος. εἰ γὰρ ἦν | ἓ τὰν ἀλάθειαν ἰδέμεν, οὔ κεν ὅπλων χολωθεὶς | . . . Αἴας ἔπαξε διὰ φρενῶν | λευρὸν ξίφος*, et Nem. 8, 33 *ἐχθρὰ δ' ἄρα πάρφασις ἦν*

καὶ πάλαι | *αἱμύλων μύθων ὁμόφοιτος, δολοφραδής, κακόποιον ὄνειδος,* | *ἃ τὸ μὲν λαμπρὸν βιᾶται, τῶν δ' ἀφάντων κῦδος ἀντείνει σαθρόν.* Haec omnia profecto ita sunt comparata et a poeta composita, ut planissume ad machinationes illas et mendacia hominum sedulorum e plebe revocari possint, qui splendorem optimatium piaculis et nefariis criminibus fingendis obscurare et maculis inquinare studebant. Nonnulli haud dubie eius farinae, qualis fuit Nicodromus Cnoethi filius, *ἀνὴρ δόκιμος,* eorum rumorum auctores erant, imperitum volgus aures praebebat, circumferebat audita, circumferendo ingentem in modum omnia exaggerabat et cumulabat. His civium suorum pravis rumoribus grave revera volnus gentibus nobilibus infligi potuisse magno documento sunt duo illa carmina Nem. 7 et 8.

Iam singula examinemus. Carmen Nem. 7 in Sogenem compositum est, Thearionis filium e gente Euxenidarum. Thearion magna apud cives invidia flagrabat eamque ob rem in media victoriae laetitia subtristis animi fuisse videtur. In hac rerum conditione admirabilis ingenii Pindarici vis et magnitudo plane elucet; amicum enim ita consolatur, non ut luctum, id quod mediocris fortasse poeta fecisset, pulchris et dulcibus verbis obvolvat quasi et occultet, sed ut volnus libere confiteatur, totam eius vim et naturam explicet denique ut ex eodem fonte, unde malum natum sit, pulcherrimum solatium scatere et effluere demonstret. Totius carminis compositio primum duabus praestantissimis sententiis tanquam duabus radicibus nititur, quas in hunc modum poeta copulavit:

prima: bonum et pulchrum in rebus humanis semper resurgit, quia aeterna deorum gubernatione nititur.

altera: humani generis vitia, inprimis invidia, in mundo sunt non culpa deorum, nam dei humanum genus non procrearunt.

prima et secunda coniunctae: homines probi et generosi, quos ne di quidem immortales ab omni invidorum iniuria immunes reddere possunt, tamen pro calamitatibus, quas perpessi sunt, sempiternis beneficiis cumulantur.

Hae duae sententiae inter se coniunctae eius carminis quasi animam continent atque quemadmodum in aliquo artis musicae opere eorundem sonorum harmonia in omni varietate tamen ubique recurrit, ita ex illis duabus sententiis omnia profluunt, in eas omnia redeunt. Sed haec in universum. Singulae vero partes in hunc modum cohaerent.

Invocatur Ilithyia, quae deorum consilio prospicit, ut ex fortibus et bonis fortes et boni creentur; eius curae novum et egregium documentum est Sogenis, Thearionis filii, victoria (v. 1—16). Homines vere sapientes felici successu non corrumpuntur, nec sua culpa cadunt; attamen, quae est in volgo hominum morum pravitas, saepe fit, ut optimi et generosissimi invidia et malignitate opprimantur, callidi et nequam homines triumphent (v. 20. 21). Hoc duorum heroum exemplis egregie illustratur: Aiacis (v. 24 sqq.) et Neoptolemi (v. 33 sqq.). Sed quamquam ne di quidem immortales a tali fato eos defendere valuerunt, tamen deorum beneficio et cura ex eorum damno et clade ipsa tanta felicitas effloruit, ut praeclare cum eis actum videri debeat (v. 32 et v. 44—49). Haec duorum heroum imago Thearioni quoque egregio solatio esse poterit, qui multa quidem felicia in vita expertus est, sed cui ex civium suorum invidia et malignitate plurimum etiam doloris et acerbitatis obtigit. Sed eius famam inimicorum calumniis graviter laborantem nunc iustissima et apud omnes Graecos fide dignissima vox poetae vindicabit et purgabit. Tale veritatis pignus calumniari nemo ausit (v. 50—79). Et hoc quidem quod sincera et fida vatis Pindari amicitia continetur solatium iam primum est opis divinae signum. Deinde vero dei quoque ipsi auxilio suo adfuturi sunt; nam licet eas iniurias, quae cum humana natura necessario coniunctae sunt, funditus tollere non possint, tamen egregio praesidio cultores suos et dilectos sibi viros protegere solent. Id profecto ante omnes in Thearione et Euxenidarum gente Hercules curabit, cuius fanum aedibus Thearionis vicinum est. Itaque quemadmodum apud homines vicinus amicus vicino praesentissimum est vitae decus et solatium, idem Thearionis genti praestabit Hercules, qui vel Gigantes olim, deorum adversarios, superavit (v. 80—94). Is Iovem patrem genti dilectae quam maxume propitium reddet (v. 95—101). Notabilis etiam clausula est: Eis denique qui poetam Pindarum ipsum impietatis erga Neoptolemum incusare conentur, respondere, operae pretium non esse (v. 101—105).

Haec igitur omnia ad consolandum Thearionem egregie apta sunt. De anno, quo carmen compositum sit, ita constat, ut eo tempore, quo maxume partis popularis odium et calumniae erga nobiles florerent, Pindarum haec cecinisse manifesto adpareat. Itaque aptissime, ut videtur, carmen assignari poterit Nemeis vel proxumis ante supremam cladem, id est anno 461 (Ol. 79, 4), vel eis quae his superiores sunt, anno 463 (Ol. 79, 2). Huic quidem anno carmen satis convenire L. Schmidtius quoque censet p. 485.

Transeundum nunc est ad carmen Nemeum 8 in Dinidem, quod ipsum quoque magna ex parte versatur in invidiae malo describendo et castigando. Hoc quoque carmen praeclare sententias quasdam generales proponit, quibus poeta tanquam lucidissimis sideribus rerum humanarum tenebras illustrat. En duas sententias principales, quibus summa carminis continetur:

prima: non ita acquiritur virtus, ut audaci et vehementi impetu ad eam expugnandam prorumpamus; sed placido cursu progrediendum; — virtus crescit stirpium et arborum instar patientia et die intercedentibus.

altera: hominum optimorum et generosissimorum felicitatem turbant volgi et pravorum hominum vitia, inprimis invidia, quae semper celsissima quaeque et splendidissima adrodere solet; hoc malum di immortales tollere non potuerunt, quia cum generis humani natura coniunctum est.

prima et altera copulatae: qui virtutem non turbulenti et quasi impetu facto, sed placido cursu expetunt et lenibus incrementis locum dant, ab invidia magis immunes sunt, et amicos fidos inveniunt, qui in rebus adversis solatio, in rebus faustis decori eis futuri sunt.

Has sententias pulcherrime poeta ad praesentem victoriam et ad Dinidis res et mores accomodavit. Videamus de singulis. Invocatur Hora. Iuventuti plerumque hoc proprium, ut pulcherrima quaeque turbulento impetu expetat, velut in amore Juppiter ipse cum Aeginam in matrimonium peteret, placidissimus fuit, item Aeginae filius Aeacus propter virtutem, sapientia et consilio temperatam summa auctoritate apud omnes fuit. Talibus viris dei adsunt (v. 1—18). Sed ne optimi quidem prorsus ab improborum hominum malevolentia et invidia tuti sunt, quod luculenter Aiacis ab Ulixe circumventi exemplo edocemur (v. 19—34). Invidia ex lucri cupiditate et ex sordida ingenii indole nascitur. Sed haec vitia generi humano a principio innata fuerunt, nec tolli possint, nisi sublato genere humano ipso. Itaque toleranda sunt. Sed tutissima ratio evitandae invidiae ea est, si quis ad virtutem non impetu, sed constanti et placido cursu enitatur. Eius rei ipsa rerum natura exemplum hominibus praeivit, nam arborum quoque stirpes incrementis placidis et tranquillis, quippe quae rore nutriantur, ad summum robur educantur (v. 35. 40). Qui hac via ad summam virtutem et felicitatem escendit, non tantopere invidia obtrectatorum premetur, immo amicos sibi fidos parabit tales, qualis ipse poeta est, qui in rebus adversis praesidium, in rebus secundis laudis et gloriae praecones veri amantes futuri sint (v. 41—44). Denique laetatur maxume poeta, quod in gente nobili Chariadarum tantam virtutis et

probitatis materiam invenit, ut nulla laus nimia futura sit. Itaque desinant calumniatores eis hoc sollemne laudis genus invidere, quod vetustius iam est, quam belli ab Adrasto cum Thebanis gesti memoria (v. 45—51). Hoc igitur carminis Nem. 8 argumentum est.

Unum tantummodo addendum, quod antea ne sententiarum conexus interrumperetur, omisimus. Quod enim v. 19. 20 Pindarus fingit, se ab heroum Aeaci et Cinyrae felicitate et sorte beata canenda discedere, quia cavendum sibi sit ab suorum in arte poetica obtrectatorum et calumniatorum vocibus malevolis, hoc non ita accipiendum est, quasi quae paullo post copiosius dicta de invidia sequuntur, dicta sint contra Pindari adversarios. Immo illa transeundi formula rhetoricum artificium est: poeta cum obtrectatores suos nuncupat, haud dubie de Dinidis atque omnino de omnium nobilium et generosorum civium obtrectatoribus dicit, qui virtutem et splendorem, ad quem ipsi nunquam adspirare audeant, invido dente rodunt et carpunt Hoc ita revera Pindarum sentire exemplum Aiacis et Ulixis quod statim sequitur aperte docet.

Iam si quo anno carmen compositum sit, quaeramus, argumentum ipsum docet de eis temporibus cogitandum esse, quibus discordiae domesticae maxume viguerint. Itaque ambigi tantum poterit inter annorum 461 et 463 ludos Nemeos. Eadem dubitatio erat in carmine Nemeo 7. Itaque controversia eo redit, ut quaeratur, utrum ex his duobus carminibus anterius, utrum posterius sit. Si amborum colorem et speciem comparemus, fugere nos non poterit, poetam in carmine, quod Sogeni scripsit, magis ex intimo pectore loqui et altiore meditatione omnia cogitata amplexum esse, praecipue vero cum occulta quadam, sed conspicua tamen sollicitudine universam rerum conditionem et praesentem illam felitatem contemplari. In carmine, quod Dinidi compositum est, omnia aliquanto hilariora neque tam ex alto petita sunt. Itaque hoc carmen prius composuisse videtur, quo tempore periculum ex intestina discordia ordinum Aeginae imminens nondum tam prope adesset. Quibus perpensis animus eo inclinat, ut carmen Nem. 8 anno 463 (Ol. 79, 2), carmen Nem. 7 anno 461 compositum credamus.

De carmine denique Ol. 8, quod postremum est eorum, quos in Aeginetas victores Pindarus composuit, alias disputandi copia erit. Etenim haec Deo O. M. fortunante continuabuntur.

Sed haec satis sint de vetusto illo praestantissimoque vate, qui, ut ipse ait, viventibus spirantibusque artis suae sagittis hominum pectora saepe percussit. Eius hodie verba instar vestibuli tantum sunt, unde iam ad altius illud augustiusque templum escendendum est, quod non ex marmore et auro, sed ex immortali sempiternaque materia, e pietate et amore, Germaniae populi in animis suis et praecordiis extruxerunt, cuique dilectissimum patris patriae nomen inscripserunt. Eius nunc valvae late patebunt, eius nunc penetralia aperientur.

Appropinquat enim dies inprimis faustus et exoptatus, quo Augustissimus Clementissimusque Princeps, Germanorum Imperator Rex Borussiae GUILELMUS I. lucem adspexit. Hunc diem una cum universa patria Academia quoque nostra salutabit. Indicenda igitur sunt sollemnia ab Universitate Christiana Albertina in magna aula die XXII. mensis Martii anni MDCCCLXXIX. hora I. post meridiem celebranda, in quibus communia omnium vota communemque laetitiam oratio. ab eloquentiae professore publice constituto, Eduardo Luebbert, patrio sermone habenda interpretabitur.

His sollemnibus ut prompto lubentique animo interesse velint, ea qua par est observantia magistratus Regios perillustres cum civiles tum militares, magistratus urbicos summe colendos, sacrorum antistites maxume reverendos, scholae homanitatis studiorum fundamenta strenue iacientis praeceptores honoratissimos, nec non viros spectatissimos ornatissimosque qui aliquo officii vel studiorum vinculo cum universitate nostra coniuncti sunt, denique urbis incolas et quicunque patriae nostrae favent cupiuntque, rogatos invitatos esse volunt Rector et Consistorium academicum Universitatis Kiliensis.

Dabamus Kiliae Holsatorum die XVI. mensis Martii MDCCCLXXIX.